

detur ex 40. Abucaræ opusculo seu potius opusculi illius titulo confirmari posse, quippe in quo Photii mentio occurrit, ex quo Abucaram illud opusculum hausisse Gretserus in margine suspicatur. Verum hæc opinio cum inscriptione opusculi 18. vix conciliari poterit, quod *διὰ Φωνῆς* seu per vivam vocem Johannis Damasceni dictatum, aut ex ejus ore depromptum dicitur, unde etiam Abucaras a Turriano Damasceni discipulus cognominari solet. Nam qui viventem Damascenum audivit, Synodo octavæ Anno Christi 869. contra Photium congregatæ interesse haud potuit, nisi ejus ætatem pluribus annis integrum seculum superasse dicamus. Præterea iam supra notavimus, quod epigraphæ opusculi 4. epistolam aliquam, quæ ab Abucara arabice scripta, & a Michaelæ Syncello græce reddita fuerat, a Thoma Patriarcha Hierosolymitano ad Armenos missam indicet, unde quodammodo colligi potest, quod Abucaras Thoma Patriarcha paulo antiquior, vel saltem illi coævus fuerit. Thomas autem ille juxta Freheri *f)* calculum A. C. 802. Hierosolymitanum patriarcharum obtinuit, &, ut Papebrochius *g)* in historia chronologica Patriarcharum Hierosolymitanorum animadvertit, post A. C. 821, quo Theodoro Studitæ de reditu in urbem Constantinopolin gratulatus est, haud diu supervixit. Nec defuerunt, qui Abucaram etiam Damasceno antiquiorem statuerent. Andreas enim Arnoldus in præfatione ad Athanasii Syntagma & alia opuscula se edita viri cujusdam docti in Anglia meminit, qui Abucaram ad 7. seculum retulit, nec alia videtur fuisse Possevini sententia, qui in apparatu suo *h)* Theodorum Abucaram cum Theodoro cœnobii in monasterio Raitu Presbytero eundem fuisse asserit. In qua sententiarum varietate, quarum nonnullæ qua facilitate affirmantur, eadem a quovis negari poterunt, eorum suffragio, qui Abucaram Carrharum Episcopum fuisse, & octavo seculo floruisse statuunt, tantisper subscribimus, quoad certiora doceamur.

*e) epist.*